

1835
I. N. 3.

DISSERTATIUNCULA,
In quā

PENTAS QVÆ.
STIONUM

Qvarundam, ex agro Philosophiæ
decerptarum;

DIVINA ASSISTENTE BENIGNITATE!

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
censurâ & Suffragio approbata,

Sub Moderamine

Viri Plurimum Reverendi & Excellentissimi
M. JOHANNIS FLACHSENII,

In Universitate nostrâ ad Auram Mathes.
Prof. celeberr. nec non Eccles. Pijkenis Past.
meritissimi, Mecœnatis, studiorumq; pro-
motoris ætatem maxime suspiciendi.


Publicæ bonorum disputationi exhibetur
ab

ELIA ERICI WOIVALENIO,
Austro - Finl.

In Audit: Max: d. 6. Decemb. An. 1684.

A B O Æ,

Impr. apud Joh. L. WALLIUM, A. T.



Abertivus hic ingenij mei fatus,
 satisq; ambigui labor fatti, non
 modo Dissertationem quan-
 dam confabricandi ab Ampliss:
 Facultate Philos. injuncta Spar-
 ta, sed & quorundam de me bene merito-
 rum amica sypho, obtinuere, ut demum in
 illustria lucis prodiret proscenia, qui rebus
 mole operosi ponderis gravioribus licet desti-
 tutus, Sva dæg, Tullianæ flexanimis lenocinitis
 minus innutritus, jejuna sua sterilitate squa-
 leat, tritasq; lectori calcandas prebeat semi-
 tas, tamen ausus etiam difficultioris conami-
 na cum laudem meruisse creditum est apud
 eos, queis virtus & modestia cordi & in pre-
 tio sunt; In his idcirco, levi, ut ajunt, bra-
 chio tallis solidioris literaturæ farraginibus,
 ingenii mei placitum est periclitaver vires;
 Qvo facto me iis ad palatum memet accom-
 modasse confido, qui prolixioris commentatio-
 nis flexuosos ambitus hac occasione sup-
 vilians fore aperre confessi, in concinnata hac
 viliori opellâ constitutionibus, sibiq; satisfa-
 cium asserunt, quiq; aliorum modestia & qui-
 tate estimare didicernit scripta; Sinistra ve-
 ro hanc de tenuiori industria ferentes judi-
 cia, alto sperno supercilie, hunc unicum in
 quem collimet insituto scopum præfigens,

ut bonis placeat propositi hujus ratio, malevolis quoniam eò ipso plus molestia creatum scio, cum nec ipsi majora in medium proferre, nec aliorum studia integritatis sua inseparabili relinquere sustineant.

QUESTIO I.

Deus num dicendus Mensura perfectionis creaturarum? Aff.

Duos creatarum in hac mundi scenâ rerum concatenatâ seriâ deprehendi terminos, infinito à se invicem distantes intersticio, cui liber in aperto est, cui meliori ex luto facta sunt præcordia; Adeo ut unumquodq; Ens creatum intra duo hæc extrema instat medii se repræsentet, *Deum* nempe & non *Ens*, quæ indagando in ejus perfectionem Mensuræ non incommodè obeunt munia, quantumvis opposito diversoq; id præstet modo: Illud namq; propiore sui accessione cuivis enti creato perfectionis sibi debitæ metas præscribit, frequens quippe est effatum illud Philosophorum, per appropinquationem ad *Deum* estimari perfectiones creaturarum, unde illa, quæ de majori perfectionis divinæ sorte gloriari possunt, non immixtò cœteris perfectiora audiunt; Ita h̄ mo perfectionis estimatio præponendus bruitis,

ris, quia facultatis nobilioris, *Intellectus*
scilicet, est particeps, quā propiore gradu
ad Deum ascendit p̄r̄ brutis hāc faculta-
te destitutis, quæ simul eo nomine longius
ad non ens recedere, cumque Deo minus
convenire dicenda, quod eadem imperfected-
onis arguit. Ratione haud absimili Angeli
perfectionis palmam p̄cipiunt homini, in
hoc, quod intelligentia intuitiva & simplici
Divinæq; non absimili naturæ, res appre-
hendunt, homines v. discursivæ, sive dia-
noëticæ intelligentiæ in rerum conceptibus
formandis indigi sunt; quorum ergò respe-
ctu, quò remotiores à Deo, eò imperfectio-
res sunt. *Non ens* deinde *longiore* à se re-
cessione perfectionem cuiusq; demonstrat,
tancò igitur proprius res creata dicitur ac-
cedere Deum, quanto majori alterum ex-
tremorum, *non ens* scilicet, post se relin-
quit intervallo; eoq; perfectior, quò à *non*
ente seu nihilitate (sit venia verbo) remoti-
or. Huic tamen nomen Mensuræ minus
conveniens esse patet: tum ex requisitis Men-
suræ, quæ respuit; tum ex Canone: Non
entis nullæ sunt affectiones. Reliquum itaq;
est, *Deum perfectione suâ eminentissima o-
mnem creatam metiri perfectionem.*

QUESTIO II.

Quies num à Peripateticis recte definiatur privatio motus? Neg.

Provida rerum genitrix natura, ne corpora vago palantia errore huc illuc traherentur, peculiari quodam statuto cuius datum ceu filum Ariadnes nunc sequntur, eadem propriæ iisdemq; maxime convenienti adstrinxit legi, ita ut alia in perpetuum damnata motum indesinenti hominibus inserviant cursu; quædam vicè verâ quiete immota commoda promoteant nostra; nonnulla per alternas motus & requiei vicissitudines, statasq; mutationum periodos semetipsa reficiant, foveant, refocillent. Ratio vero humana ignorantiae in tenebris oberrans, naturæq; latifundium non exesse perspiciens, hæc ejus sancta, cassâ quâdam temeritate adulterare quoniam sit ausa, non abs re videtur, ut dubium quæstioni involutum enodetur, & Aristotelis hâc in re falsa assertio, rectæ rationis dictamine emendetur, veritatisq; poliatur limâ: quietem namque per privationem Motus (nescio quo populo lumina obiectus) definiendam statuit; ubi tamen pro negativa tanquam pro auctorisq; sequentes militent rationes: (α) nouum est ex Canone Philosophico, omnem pri-

privationem presupponere habitum. Terrā
v. quiescit non eā quiete quæ motui succedit,
sed simpliciter quietem concessit Deus terræ,
non primò motum, deinde quietem; nec
omnis quietis præcedaneus datur motus, sed
inde à primavâ naturæ ordinatione quæ-
dam corpora circa centrum suum immota
jacent, omnisq; mobilitatis naturalis planè
nescia. (β) Quies est affectio corporis na-
turalis, quo nomine etiam nihil minus quā
privatio potest denominari, quælibet nam-
que affectio ponit, nihilq; privativi patitur,
unde *affectionem privativam non esse affe-
ctionem*, fatur acutissimus Sperlingius; qui
etiam Privationem è fato scientiæ corporis
naturalis ceu ad extremos proscribendam Ga-
ramantas exterminat, eorumq; inscitiam pro-
dit, qui in verba Aristotelis jurando *Affe-
ctiones in positivas & privativas distingvunt.*
(γ) Si per privationem definienda esset qui-
es, hoc inde ortum duceret & pullularet
absurdi: quod quieti nulla esset adscriben-
da efficacia, naturaq; in eius constitutione
frustra aliquid fecisse videretur; ubi tamen
rem sc̄ aliter habere, corporibusq; à suā qui-
ete haud vilia redundare commoda, quæ
quamvis minus ad usum nostrum applicare
sciamus, non tamen penitus tollenda, remur.

QUESTIO III.

Angelis an conveniat sermo? Aff.

FOrinsecus externoque duntaxat obtutu questionem hanc insipientibus, vero magis affinis, negativa procul dubio videtur sententia, eam ultrò provocante inter cæteros acutissimo illo Scaligero, sermonem per volum articulatarum dispositionem definiendo, quas corporeis non gaudentes organis efformare & effectui dare durum sanè & incongruum apparet, ad vocem talēm siquidem efformandam, pulmo, larynx, fauces, lingua, dentes, labraq; necessario requiruntur. Quæ angelicæ tribuere naturæ esset à spiritibus nefandâ quâdam Metamorphosi condere corpora. Nihilo tamen secius acutiore mentis oculo, sanioreq; judicii æquilibrio rem trutinaturis, assertionem nostram sermo stare talo, obvium est (α) Purificando vocabulum *Sermonis* ab adhærentibus partium quantitativarum imperfectionibus; dignum namq; est, ut mens nostra in contemplatione Sermonis angelici occupata qualitates locutionis corporeæ excedens, ad sublimiores & minus perspicuos sermocinandi modos extollatur, angelorumq; sermonem per mutuam conceptuum manifestationem, voluntatisq; ad invicem declarationem exerci per-

percipiat. Cui præterea (β) album addendo calculum adstipulantur Sp. Sancti insti-
ctu allatæ salutis ævi ernæ pandectæ Sacrae li-
teræ; Paulus namq; dicit: Si loquar lin-
gvis Angelorum I. Cor. 13.1. Angelumque
Deo respondisse & dixisse, præter innumera
alia loca testatur Zach. c.1. v. 12. Idem por-
tò (γ) Ratiocinatione à minori statuen-
dum incumbit, hoc modo: *Potentia lo-
quendi si non est denegata homini, Angelis
ut inferiori, sequitur eandem nec Angelis
tanquam creaturis nobilioribus negatam esse,
at verum est antecedens, ergò & consequens.*
Consequentia majoris hinc dispalefecit evi-
dentialia, nam si id non inest, quod minus
est, nec illud inherit quod est majus. Poten-
tiam deinceps loquendi perfectionem esse sim-
pliciter, nemo sanx mentis iturus erit infi-
cias, eam namq; in Deo etiam reperire est;
unde hæc si angelis negata fuerit, homini-
bus v, attributa, sponte hoc nasceretur,
monstrum cerbero tricipiti deformius: ho-
mines in perfectione magis approximare
Deo, quam Angelos, quod absurdum. Po-
stremò notandum, de loquela angelorum
res ut ut jam videatur satis luculenta, adeò
ut lis ea penè sit perorata, modus tamen
loquendi Angelis usitatus & congruus ut
certo certius constet vix humanæ rationis
in-

industriā acquiri posse existimāmus, à cuius tamen ignorantia, ad rem ipsam eliminandam nulla est commoda illatio.

QUESTO IV.

An in quovis plenilunio lunares fiant Eclipses? Neg.

Cum cuncta suprema fastigii sui dum attingerint culmina, invidiae quam maxime deprehendantur exposita esse telis, inopinoq; ab alto perturbati casu, non mirandum adeò, si & noctis illa Regina humorumq; Domina Luna in suo plenilunio lumen solare expansis quasi amplexibus excipiens hanc fati simul subire legem necessum habeat, terræq; insidiis petita caliginosum sibi induat amictum. Cujus rei nimis credulæ olim antiquitati varie cum sit exhibitæ cause, vulgi non solum animos in opinionum divertia distrahentes, sed & eruditos in dubium vocatos & suspensos animi tenentes, adeò ut plures contra evicta deinde experientiæ testimonia, tales in qualibet Solis & Lunæ oppositione fieri Eclipses assertum irent. operæ proinde pretium duxi, paucis ut demonstretur varietatis ejus, cur id non semper eveniat, ratio. Inter omnia, quæ Eclipses lunares non raro in plenilu-

nio impediri docent, argumenta, palmari-
um quasi est hoc: quod terra medio suo in-
ter Solem & Lunam interjectu non ubique
projiciat umbram sphæram lunæ pertingen-
tem, maximè tunc, cum hæc extra nodos
istos seu puncta intersectionis Eclipticæ ab
orbitâ lunari, longius ad latera digressa
est, unde faciem è diametro soli adversam
ostendere nequeat, quâ ratione istâ etiam
vice obicibus umbræ terrenæ elusis ab Ecli-
psi seu defectu immunis liberé stadium per-
agrat suum. Quotiescunq; autem umbra
terrena à radiis solaribus in figurâ conoide
circumscripta incidit in lunam intra angu-
los sectionis & in ipsâ Ecliptica collocatam,
toties mutuatitum ejus à Sole lumen inter-
cipit, necessitatemq; deliquum patiendi ei-
dem injungit, pro diversa Solis in apogeo
distantiâ &c. nunc totale & longius, proq; in
perigæo propiore præsentia, nunc partiale
& brevius. Hæc vero si quis ita argumen-
tando in dubium revocaverit: *causa natu-
ralis est determinata ad unum, idemq; sem-
per agit, Eclipseos cause sunt naturales.* E.
Sunt determinatae ad idem effectum, unifor-
miterq; per consequens effectum dant. Sed
respondemus, limitando rem in vado esse;
causa naturalis dicitur ad idem determinata
esse effectum, donec eadem bene disposita

reti-

retinet media & requisita. sub quâ limita-
tione concidit minor; Ex. gratia. oculus
quidem naturaliter semper videt, sed justa
si non sit proportio inter organum & obje-
ctum, justoq; major distantia, non vera se-
quitur visio, sed impeditur, pari ratione
medium in Eclipsum genesi quod est um-
bra, quoties est recte dispositum ita ut lu-
nam diametraliter feriat, idem semper pa-
rit effectum, sin minus impeditur.

QUESTIO V.

*Pecuniane am miles potiori jure nervus
belli dicendus? Aff. de hoc, neg. de illâ,*

TRITUM ILLUD: Rerum gerendarum ner-
vum esse pecuniam, ut circumfertur, ita
& belli Politicorum non paucorum conte-
stantur suffragia, cui præterea non nihil ro-
boris conciliat illud Poëtæ:

*Vita hominum est pelagus, Regina pecunia
nauta;*

Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Sed pro Milite hoc titulo insigniendo, qui
non raro de primatu cum ipso certat prin-
cipe, hujusq; gloriofa pariter sibi vendicat
gesta, potiora omnino præsidio se sustine-
argumenta, remq; militarem principaliter
viris constare. S armis cum Vegetio lib. i. de
Milit.

Milit. testis est rerum magistra experientia,
quod ipsum & nos ulcerius comprobatum
ituri subjuncta pensabimus rationum mo-
menta: 1. Summa in bello inferendo impe-
rantium requiritur cura & prudentia, ne
vel æratii ditioris opulentia, commeatuum
fœcundiore proventu, locorumq; situ fretus,
aliquid in hoste lacestendo contemnat, nec
vanâ quâdam fiduciâ persuadeat sibi id, cu-
jus nec militum suorum virtus, nec armo-
rum robur alioquin capacia & efficacia
sunt, unde protinus liquet, pecuniae no-
tantum esse in bello valorem, quam mili-
tum, siquidem harum subsidio innixi spe
dum frustrantur, exemplo hoc ipsum edocent
suo. Hinc tamen non penitus excludendam
decernimus Pecuniam ab omni negotio bel-
li, quamvis Militem primas sibi vendicare
asseramus, quæ militum adjuncta fortitudi-
ni & virtuti, conjunctim non parum valet,
disjunctim v. sibiq; ipsi relicta in parandâ
honestâ victoria res vilior algâ est; omnes
quippe montes, maria, locaq; munita pe-
cuniae ut ut feracissima, virtute militum
nullâ resistente, strenuo pervia sunt militi.
2. Sine quo bellum nonnunquam potest ma-
veri, id ejus jure non est dicendus nervus,
et sine pecunia bellum quandoq; constat mo-
tum esse, Ergo haec non jure ejus dicendus

nervus. Majoris vis extra omnis dubii posita
est limites, nam *nervis* sine *animal locomo-*
veri nunquam potest, teste Sperlingio. Anth.
c, 5. Minoris ad evidentiam declarandam
sufficiet unicum hoc satis memorabile factum
Alexandri, qui facibus, pecuniarum & sar-
cinarum vehiculis subditis, consultius du-
xit sarcinarum & pecuniae quam disciplinae
& fortitudinis militaris per hæc in militibus
suis diminutæ, plenarism fieri jacturam,
quo militem ad reliquum belli perficiendum
& habiliorem & alacriorem fecit. & sic con-
stat; bella nunquam sine milite gesta esse, u-
bitamen sine pecunia interdum non mino-
rem acquisitam vincendo esse gloriam, quo
etiam collimat Synesius: *χειρῶν δὲ τῷ πο-*
λέμῳ, γὰρ οὐ οὐμάτων, ἐδὲ χρημάτων,
tacitè quasi hoc illorum stringens temerita-
tem, qui tunc se bellis ex animi sententia
ferendis satis aptos existiment, cum nume-
roso, purpura auroq; fulgente, nec non
opulento se stipatos sciant exercitu, hoc ta-
men saepius eventu, ut viri, imbellibus
prædam, non arma gestantibus aurum eri-
perent. 3. Miles summa coactus inopia, o-
mnibusq; pecunijs consumitis, non tamen
animam despendet, sed etiamnum præclari
non nihil gerere, victoriaq; potiri toto sa-
tagit

egit conamine, quod vice versâ de pecunia dicere minus conveniens esset, quæ militi cœso & fugato, non nisi hosti lucro cedit. 4. Pecuniam ab hoste surreptam milles virtute & armis recuperare potest, pecunia verò minori cum laude captivos milites redimit, quare Carolus V. dixisse fertur: *Nervos belli esse pecuniam, commearium & militem, ex his v. si aliquo carendum esset, militem veteranum se electurum, sujus industria se reliqua duo comparaturum pollicebatur.* 5. Arma & milites pecunia conducti semper in bello cum metu quodam periculi obtinentur, qui non cum studio gloriæ salutem patriæ combinant, sed mera lucri spe, sacrâq; fame auri belli aleam experiuntur. 6. Imperijs in summo fastigio constitutis nihil unquam magis abjectum & contemnendum, quam pecunia fortunæ quasi ludibrium, nec quicquam solidius & constantius quam veræ laudis & gloriæ auctupium. Sic Agricola Taciti, non pecuniam, nec commearium hostibus parem se habuisse gloriatur, sed arma & manus & in his omnia. Quo facit & illud Ennius de Pyrrho:

*Non mi aurum posco, nem i pretium dederitis
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro non auro bellum cernamus utrig;*

Eosq;

Eosq; Machiavellus fidū & bonis accesserit militibus, qui non lucri, sed laudis & gloria comparande studio dimicant. Ex quibus hoc facili jam opera potest confari **consecutarium**: Quod miles primariò nervus audiat belli, pecunia v. cuius indigentia talis est, quam strenui semper vicerunt milites, causæ secundariæ & adjuvantis sustineat vices.

Hæc jam sunt, quæ tuam Lector humi-
nissime pro re nata subire gestiunt **πίκεστιν**,
pro quā humanitè ferendā, est, quo nostra
te accedunt non minus vota quam officia.

TANTUM.
COROLLARIA.

- I. *Luna non proprio splendet lumine.*
- II. *Stelle non semper eo in loco apparent, quae reverè existunt.*
- III. *Umbra etiam suo potest videri mode.*
- IV. *Servitus est à natura.*
- V. *Fama non minus stabilimentum regne,
quam Regi Gloriam parat.*

